





1. Hsferung s. Joh. Carp. diff. de perfectio  
ni Christiana Antiv. Wittenb. 1739.
2. ————— diff. de Bileam, in iurato  
re et propheta periodico, Wittenb. 1739
3. ————— diff. de communione sub  
utragz. Wittenb. 1739.
4. ————— diff. de locis cur Christus  
morte crucis voluerit mori, W. 1739
5. ————— diff. de theologo non tantum  
theoretico sed practico, Wittenb. 1738
6. ————— diff. de momento endyponismen  
anima fidelis, Wittenb. 1726.
7. ————— diff. de effectibus afflictio  
num Christi a Paulo supplendi  
ex Coloss. i v. 24. Wittenb. 1720
8. Hayer s. Joh. Georgij s. diff. de proverbiis  
proverbio: pror. Kenta. Dukt. scilicet  
Act. VIII v. 5. Lipsia 1738.

927

EXERCITATIO EXEGETICA  
DE  
**BAPTIZATIS**

Τ' ΠΕΡ ΤΩΝ ΝΕΚΡΩΝ

Über:

Besondere Meynung über die schwere Schriftstelle,  
**Von der Taufe über den Todten,**

EX I CORINTH. XV, 29

QVAM  
IN AUDITORIO DVC. SEMINARII THEOLOG. ISENACENSIS  
A. D. AVG. MDCCX

PRAESIDE  
**CHRISTOPH. AVG. HEVMANNO**  
DICTI SEMIN. INSP.

PVBLICE PROPVGNABIT  
**IO. DIETERICVS NEVMEISTERVS**  
DANCKMARSHVS. ISENACENSIS  
S. THEOL. CVLT. EIVSDEMQ. SEMIN. MEMBRVM



IENAE

REG. PRELO HELLERIANO, 174<sup>o</sup>.





ΑΝΕΤ ΠΡΟΟΙΜΙΟΥ ΚΑΙ ΠΑΘΩΝ.

§. I.

**I**nter PA VLI, principis apostolorum, dicta complura, quae criticos dicam vexarunt, an ab illis vexata sunt, non potestremus obtinet locum illud, quod in priore ad Corinthios epistola, capite XV, comm. 29. existat. Quod equidem hoc loco ita tractandum suscepit, primum, ut aliorum interpretationes summa, qua fieri potest, breuitate enarrarem, iuxtaque subsincerum accuratumque examen pro ea, qua litteraria videntur in republica, libertate eas vocem: deinde meam sententiam firmis munitione praefidiis exponam, eruditorumque censoriae subiiciam severitati. Q. D. B. V.

§. II.

Prima itaque huius loci interpretatio à TERTYLO LIANO profecta, postea etiam CHRYSOSTOMO placuit,

THEODORETO, ZONARAE, CAIETANO, & c recentioribus KNATCHBULLO in *Animadvers.* ad h. l. p. 102. & ad I PET. III, ii. p. 148, hanc statuentibus esse Pauli sententiam: *Cur immerguntur & baptizantur tanquam mortui, si non resurgent, cum tamen baptismus sit resurrectionis symbolum?* Verum haud iniuria frigidam appellat hanc explicationem IO. ANDR. BOSIVS in *Exercit. de Clinicis Ecclesiae veteris cap. II.* pag. 37. Nam (a) τὸ ὑπὲρ nunquam significat tanquam. (β) Sivel maxime ὑπὲρ illum significatum sustineret, tamen quis hanc phrasin, *tanquam mortui*, hunc intelligere possit in modum: *tanquam post mortem resurrecturi, vel tanquam resurrectionis Symbolum suscipientes?* (γ) baptismus potius erat signum resurrectionis spiritualis. Vid. Rom. VI, 4. (δ) Paulo ita scriendum fuisset: *τι ἐποίησεν βαπτισθέντες ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*, ut se atque Corinthios utique baptizatos complecteretur. Quem in modum statim ν. 30. pergit: *τι οὐκέτε κατανοέσσεν;* Cum vero Paulus dicat: *τι ποιήσων οἱ βαπτιζόμενοι*, satis perspicue cum per tertiam verbi personam, tum per articulum αἰ indicat, se loqui non de seipso neque de Corinthiis à se primum conuersis & baptizari iussis, sed de aliis baptismum suscipientibus. Quæ ratio probe obseruanda, cum valeat ad complurium opiniones labefactandas, quamque stabiliendam, de qua infra dicam: *Tu mibi sola places.*

## §. III.

Secunda ejusdem est CHRYSOSTOMI, (cuius verba affert S. B. SCHMIDIVS in *dissert. de baptismis super moribus §. 14.*) OECVMENII, THEOPHYLACTI, & e nouis auto-

35

auctoribus HENR. HAMMONDI, qui ita Pauli verba  
waeraφetae: Ab iis, qui inter vos negant resurrectionem mor-  
torum, hoc unum quaestuero: Quare ergo in baptismō pro-  
fessi sunt, se hanc credere, cum resurrectio mortuorum sit ex po-  
tissimis fidei capitibus, in quae baptizati sunt? Sed, ut omitti-  
cam ea, quibus iam Celeb. Dñ. d. GOTTFR. OLEARIVS  
in diss. de baptismō promortuis, §. 4, 5, 6, 7 isthac iugulauit  
sententiam, tantum reperio rationē meām quartam, §.  
praececd. allatam, & noto Φερόσιος ἀκυρολογίαν.

#### §. IV.

Tertiam iū sequuntur, qui putant, Paulum respicere  
ad morem quorundam, pro demortuis nec dum baptiza-  
tis viuum aliquem baptizantium. Cuius sententiae pa-  
tronos (quibus addo BOCHARTVM in diss. de baptismō  
pro mortuis, quae annexa est eius Canaani p. 1026. seq. &  
10. MARCKIVM dispp. select. num. 25. & 26.) nominatim  
producit BOSIVS l. c. p. 35, & OLEARIVS l. c. §. 14. Adi  
& SCHMIDIVM l. c. §. 3. & 18. QUENSTEDIVM Antiquit.  
Bibl. & Eccel. cap. IV. sect. II, num. VI, p. 361, seq. ITTIGIVM  
de baer. saec. I & II sect. I cap. V §. 8 p. 55, seqq. & sect. II  
cap. VII §. 17. p. 148. Verum haec sententia ideo non me-  
retur calculum, ( $\alpha$ ) quia sic apostolus illum baptismī  
abusum approbasset suoque confirmasset silentio. ( $\beta$ )  
Argumentum foret absurdum: Si quidam adeo sunt inepti,  
vt in locum eius, qui sine baptismō decessit, baptizent alium ē  
viuīs, sequitur, dari resurrectionem mortuorum. ( $\gamma$ ) Nec  
probabile est, nec probari potest, illo iam tempore, quo  
Paulus haec scripsit, ritum illum quibusdam suisse rece-  
ptum. Vid. Dn. OLEARIVS l. c. §. 15, seqq.

A 3

§. V.

**Quartae** BELLARMINVS aequē e pontificiis alii  
subscribunt, arbitrati, baptismum lacrymarum & poeni-  
tentiae pro defunctis in purgatorio versantibus hic loci  
intelligi. Vid. BOSIVS l. c. p. 35, 36 & SCHMIDIVS l. c. §.  
10, item Anonymus de medio statu animae cap. XII §. 5 p. 354,  
*seq.* Sed haec quidem explicatio risum potius, quam  
laboriosam discussionem meretur.

## §. VI.

**Quinta** placuit LYTHERO nostro, M. CHEMNI-  
TIO, GERHARDO, BALDVINO, AEG. HVNNIO,  
FRANZIO, MICH. WALTHERO, (qui copiose de hoc  
loco differit *Append. ad Harm. Bibl. quaest. II,*) creden-  
tibus, apostolorum respexisse ad antiquam super sepul-  
cris baptizandi consuetudinem. Sed e nostratibus hanc  
sententiam, nullo magnorum nominum ratione habita,  
profligarunt SEB. SCHMIDIVS l. c. §. 26, & QVENSTE-  
DIVS lib. cit. num. XI. p. 366. Neque enim probari potest  
villo idoneo teste, eo iam tempore illum fuisse ritum usi-  
tatum. Vid. BARTHIVS *Advers. lib. XLIV. cap. 2.* p.  
1989. CASP. SAGITTARIUS differit. de *Natalicis Mar-*  
*tyrum cap. III.* §. 33, & BOSIVS loc. cit. p. 36.

## §. VII.

**Sextae** auctores sectatoresque rati sunt, cogitasse  
apostolum de baptismō sanguinis & calamitatum suę  
afflictionis. Vid. BOSIVS l. c. p. 36, ubi sententiam  
hanc

hanc amplexati & pontificii & reformati & Lutherani producuntur: quibus addenda est doctissima illa virgo, ANNA MARIA SCHVRMANNIA, quae in *epistola ad IAC. LYDIVM*, in *Opus. p. 95, seqq.* eandem opinionem stabilire annisa est: &, qui nuper demum eandem interpretandi rationem fecutus est, IO. HARDVINVS, vir ex Ignatianorum familia famosus verius, quam celebris, cuius verba & relata & refutata sunt in *Actis Erud. Lips.* hoc anno p. 56. Videatur & SCHMIDIVS loc. cit. §. 24. Nimirum sententia haec Pauli verbis vim infert, praeteraque refellitur per rationem a me §. II. (d) propositam.

### §. VIII.

*Septima* eorum est, qui de lotione mortuorum Pauli dictum exponunt. Vid. BOSIVS l. c. p. 37. & SCHMIDIVS l. c. §. 15, 16 & 29. Verum ab his falso supponitur, mortuorum corpora ablui in memoriam resurrectionis: quippe cum & aliae gentes cadavera hominum abluerint, quae resurrectionem corporum peruvicaciter negarunt. Ut taceam, rursus verba Pauli praeter meritum torqueri misere.

### §. IX.

*Ottava* refutatione plane indigna est. Fuerunt enim, qui per mortuos Paulo commemoratos caperent peccata mortalia. Vid. SCHMIDIVS l. c. §. 4 & 19; BOSIVS l. c. p. 37.

### §. X.

laetatio. I. ianuaria. §. 10. X. moq. & indequie omni  
parte veluti reuulsio. Ita exinde audierit: tunc uobis

**Nonam** primus & solus protulit. DAN. HEINSIUS,  
in Exercit. S. ad N. T. lib. VII. cap. 13 ratus, eo a Paulo  
respici, quod noui Christiani, cum baptizarentur, ad-  
scuerint Christianorum demortuorum nomina. Sed  
hic quidem sensus ex verbis Paulinis nullis extorqueri  
fidiculis potest. Nemirum non desunt, qui noua, quam  
solida, proferre malunt: quod illa ad admirationem  
pariendam sint accommodatissima. Et quid multa?  
Ipsi ethnici, resurrectionem insistantes, defunctorum  
suscipere nomina non dubitarunt.

## §. XI.

**Decima** iis se probauit, qui Pauli verba de Clinico-  
rum baptismo intelligenda censem. Huiusc senten-  
tiae patronus fuit MATTHIAS FLACIVS in annot. ad  
b. l. & in Clave Script. S. voc. Mortuus. BOSIVS quo-  
que hanc sententiam non obscurè defendit p. 38, seqq.  
pluresque adducit idem sentientes. Vide & SCHMI-  
DIV M. §. 6 & 20 diss. cit. Verum nec haec interpreta-  
tio, durissima quippe & contorta, admitti debet.  
Quanta enim monstra sunt, siue hanc sententiam ita  
exponas: *Super mortuis*, id est, *tanquam moribundi vel*  
*mortuis similes*; siue cum VOSSIO ita: *pro mortuis*, id  
est, *pro statu mortuorum*, hoc est, *ut sibi post mortem si-  
bene*. Accedit, quod minime constet, morem illum  
apostolico aequo fuisse usitatum, sed verius videatur,  
consuetudinem illam post apostolorum decepsum circa  
CYPRIANI tempora non sine superstitione inoleuisse,

vti rectissime iudicat QVENSTEDIVS *Antiq. Bibl.* §<sup>o</sup>  
*Ecclesiasticus*. Cap. IV Sect. 2 n. V. §. 2 p. 358. Quanquam huic  
difficultati iam obuiam iuit laudatus BOSIVS, vt adeo  
haec sententia facile possit locum habere, nisi ipsa ob-  
staret verborum structura.

## §. XII.

*Vndeclima* sententia propugnatorem inuenit 10.  
CLOPPENBURCHIVM, Reformatum, qui eis verbis  
non aliud putat innui, quam quosdam id temporis baptis-  
tum suscepisse, commotos exemplo & constantiam mar-  
tyrum, qui hanc veritatem suo sanguine obsignabant.  
Quam eandem opinionem tuetur STEPHANVS DE  
BRAIS, Theologus quondam Salmuriensis, in diss. *de  
baptismo pro mortuis*. Sed interpretationem illam docte  
iam refutauit in epistola ad memoratum illum CLOP-  
PENBURCHIVM celebratissima illa SCHVRMANNIA  
Opusc. p. 102, seq. & p. 195, seq.

## §. XIII.

*Duodecimam* produxit ARTAS MONTANVS, qui lo-  
cum hunc de iis interpretatur, qui Spiritum S. accipiunt  
ante baptismum: quos dicit baptizari pro mortuis, quia  
iam prius mortui peccato, eo fine baptizantur, vt hoc ipso  
profiteantur spem futurae resurrectionis. Quæ cum ni-  
mis longe petita sint, semetipsa facile resellunt, & totius  
orbis litterati iudicio rejecta sunt, eum nemo approba-  
tione dignam censuerit hanc sententiam. Vid. SCHMI-  
DIVS l.c. §. m. § 22.

B

## § XIV.

## §. XIV.

*Tertia decima auctorem habet SEE. SCHMIDIVM (quem non ita pridem secutus est CONR. MEL in Antiquario sacro p. 28, ) diff. cit. §. 30, seqq. qui putat, apostolum respicere animo ad ritum veteris testamenti, quo DEV'S praeceperat, ut, qui mortuum contrectasset, se ablueret sive baptizaret. Sed qui felix fuit in refellendis aliorum opinionibus, pari felicitate non est usus in fabricanda maiore. Adeo verum est illud ARISTOT. VII Topic. 5, 10 : "Επει , ωσπερ καὶ ἐν τοῖς ἀλογοῖς τὸ διαφθείρα τὸ πωνταρά πάντας , οὐτό καὶ ἐπὶ τέτων τὸ διατενεύσαται τὸ πατασσεύσαται . Videatur , inquit , sicut & alias facilius est corrumperet aliquid quam efficeret , ita quoque facilius esse , refellere aliquam sententiam , quam statuere atque confirmare . Nam nec probavit SCHMIDIVS , nec probari potest , DEV'M illo ritu significare voluisse resurrectionem mortuorum . Ac manifeste vir aliquin Magnus petit τὸ ἐργάχειν , cum §. 37 , iuxta finem ita scribit : Σειριοσει νηγε σριπτηραμ , ( ut scilicet demonstrem inde , DEV'M illa ablutione significatum iussisse resurrectionem , ) do tibi ipsum bunc locum apostolicum .*

## §. XV.

*Decima quarta VALENTINIANIS tribuitur , ex quorum sententia haec est mens apostoli : Quid facient angelii , qui baptizantur pro hominibus ? Sed valeat illud Valentianorum delirium , quod notauit DN. OLEARIUS l. c. §. 3.*

## §. XVI.

*Decimam quintam effinxit HARDVINVS supra iam VIX. 3 me-*

memoratus, qui supponens, eo anno, quo Paulus haec scripsit, pestilentiam inuasisse Corinthios, & occasione huius mali metuque mortis, multos festinasse ad suscipiendum baptismum, ita hunc locum explicat: *Si non datur resurrectio mortuorum, cur metus mortis quosdam compellit ad baptismum suscipiendum?* sive, *quid consequentur veri catechumeni, qui occasione mortuorum, ut baptismino initiantur, efflagitant?* Quam sententiam non aspernandum arbitratur THOM. ITTIGIVS de baeres. saec. I & II sect. I cap. 5 §. 8 p. 57. Verum tamen eam optime confutauit Dn. OLEARIVS diff. cit. §. 8, 9, 10. Quid? quod ipsum auctorem eius nunc pudet, qui aliam nuper commentus est opinionem, priore repudiata, ut supra §. VII meminimus.

## §. XVII.

*Decimam sextam IO. CLERICVS suam fecit, qui rō vītē explicat ērti, & in sua versione Noui Testamenti Gallica, Amstelodami A. 1703 euulgata, Pauli verba ita exponit: Cur in eorum locum, qui iam defuncti sunt, noui Christiani se baptizari patiuntur, si tamen illi non resurgent?* Quæ explicatio cum ceteroquin commodissima videatur, & cum reliquis apostoli verbis optime cohaereat, tamen vel idcirco reiicienda est, quod nemo baptizatur in locum demortui Christiani, vt caesis militibus sufficiuntur alii, sed pro se quisque. Vid. Dn. OLEARIVS loc. cit. §. 11, 12, 13.

## §. XVIII.

*Decima septima excogitata, & publica disputatione*

B 2

venti-

ventilata Lipsiae est ante paucos annos a viro celeberrimo & de sacra philologia meritissimo, D. GOTTER. OLEARIO, qui verba ὑπὲ τῶν νεγάνι l. c. §. 21, seqq. hunc explicat ita modum: *Qui baptizantur in nomine Iesu Christi pro nobis mortui.* Fateor, me ipsum aliquando in hanc incidisse sententiam, ut credere, per τὰς νεγάνις capiendos esse Iesum Christum & Ioannem baptistam, cum vtriusque baptismus post vtriusque mortem passim tum celebraretur, ut e sacrī constat monumentis. Sed Dn. OLEARIVS solum Christum per τὰς νεγάνις indicari existimat, nixus illa dicendi ratione in sacrī libris non insolenti, qua numerus pluralis pro singulari ponitur, cum quidpiam obscure designatur. Ac sane ille idiosyncrasia si obseruetur, difficillima quaedam Scripturae S. loca plana evadunt, ut iam olim docuit HIERONYMVS comment. in Matth. XXVII, 44. & AVGUSTINVS in Encibir. ad Laur. cap. 44, & recentioribus DILHERRVS Elect. lib. I cap. 8 p. 49, GLASSIVS Philol. S. lib. III tract. I de Nomine, Canone 27, CLERICVS dissertatione II, Harmoniae Euangelicae subnexa, canone XVII. Addam ipse locum, qui Cl. OLEARII sententiae videri possit patrocinari, ex Matth. IX, 8, vbi τοῖς ἀθέωποις positum deprehenditur pro τῷ ἀθέωπῳ, per quem ibi ipse quoniam Christus intelligitur. Verum ut omittam, non fuisse, cur adeo obscure Paulus Christum designaret in hoc argumento nulla profecto obscuritate involuendo ac potius videri Paulum cum diserte nominaturom fuisse, si quidem de Christo loqui instituisset: sequentia magni viri sententiam euertere crediderim. Primum Christus quidem passim dicitur mortuus ὑπὲ ηὐαν, sed homines nunquam dicuntur baptizati ὑπὲ τῷ 2858. Nec

Nec afferri potest exemplum geminum, quo ὑπὲρ τὸ<sup>ς</sup>  
βαπτίσμον significet *in nomine Christi*. Porro per interpretationem Viri doctissimi tollitur conexio *versus 29* cum  
*v. 30*, quae tamen perspicue indicatur per *v. uia v. 29 pos-*  
*situm & v. 30 repetitum*. Denique per articulum οἱ  
βαπτιζόμενοι significatur quoddam genus baptizatorum,  
cum in Christum baptizati sunt Christiani ad unum omnes. Ideoque si *Paulo de Christianis omnibus esset sermo*, scribendum erat: *τὶ ποίησε ταπτιζόμενοι ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*, vel etiam, *τὶ ἐβαπτίσθητε ὑπὲρ τῶν νεκρῶν*. Quae sufficere possunt, ut intelligatur, nos a sententia Viri celeberrimi haud sane temere discedere, sed gravissimis inductos rationibus.

## §. XIX.

Antea quam meam sententiam producam, moneno, inter omnes hactenus allatas interpretationes plurimum speciei habere sententias **BOSII** *in §. XI,* & **CLERICI** *in §. XVII* notatas: ideo, quod optimum continent argumentum pro scopo apostoli. Sed quia vtrinque verba contorquentur, igitur aliam mihi sententiam eligendam duco, eamque simplicissimam ac sua luce radiantem. Nec vero novam promo opinionem, sed quam iamdudum proposuit **FRANCISCVS IVNIVS** *in Annos. ad b. I.* In ea quidem editione, quam in manu habeo, (*Geneuae 1617 in folio* prodiit, ) **IVNIVS** eam interpretationem sequitur, quam supra §.  
VII reiecimus: sed postea mentem suam mutauerit oportet, cum **SCHMIDIUS** *loc. cit. §. 13* diuerso modo eius verba reciteret, ut scilicet iste sensus emer-

B 3 gat:

gat: *Si non est resurrectio, cur baptizantur alii super alios iam mortuos.* Quae interpretatio quod vix ullum inuenierit ad stipulatorem, ( mihi certe praeter CHRISTIANVM BECMANNVM, haesitabundum tamen & ipsum, in Originibus Lat. linguae in voce *super p. 1061*, nemo notus est, nisi quod OLEARIVS loc. cit. HVLESMANNVM quoque huius sententiae patronum citat,) id causae fuisse existimo, quod IVNIUS simpliciter instrar scholii eam proposuit, nec vberius elucidauit stabiliisque. Nam nec veritas amat, nisi agnita: agnoscit autem non potest in tenebris, sed in apicum proferenda est,

## §. XX.

Mea igitur ex sententia *τό ὅπῃ* h. l. significat *ultra*, *praeter*, post, quem significatum etiam habet Hebraeorum *לְפָנֶיךָ*, Latinorum *super*, Germanorum *über*/ quae *τό ὅπῃ* Graecorum respondent. Neque id mirum videri debet, cum *ὅπῃ* Graecorum, *super* Latinorum, & *über* Germanorum vna sint aedemque vox: quales occurunt plures apud BECMANN. l. c. p. 158, seq. Iam nostrates dicunt *über* dīz, id est, *praeterea*: *über das alles ist eine Klusst befestiget*, *Luc. XVI, 26*: *eine Traurigkeit über die andere* / *Phil. II, 27*, & eiusmodi innumera. In primis consideratu digna sunt verba illa *Genes. XXIX, 9*: *Er nahm über die Weiber* / *die er zuvor hatte* / *Mahalath*, die Tochter Ismaels. Nam & in Hebreo exstat: *עַל נָשָׁיו*, quod recte VATABLVS reddidit *VLTRA uxores suas*. Sic *Genes. XXXII, 11* dicitur *Esaus necaturus עַל בְּנֵים צָא*, matrem *super liberos*, id est, non solum liberos, sed *praeter hos*

hos etiam matrem. Pari modo Ezech. VII, 26 haec leguntur: **דָּרְךָ עַל שָׁמְעָה וְלֹא תִּתְבֹּא**, quae LUTHERUS optime sic transtulit: Ein Unfall wird über den andern kommen / ein Gerücht über das andere. Vulgatus Interpres: Conturbatio super conturbationem veniet, & auditus super auditum. Nec minus recte Vatablus: Calamitas alias super aliam veniet, & erit rumor super rumorem. Ex hoc cum liqueat, **וְלֹא** Hebraeorum & über Germanorum illam sustinere significationem, idem affirmabode Latinorum super. Iam IVNIUS tale exemplum ex Liui produxit, & alia plura protulit IO. Vorius in libro de Latinitate falso suspecta cap. XXIII p. 230, 231. Addam ipse duo alia: Virgilius Aeneid. II, 348: Incipio super his, id est, in super, praeterea, ut recte explicat Minellius. Idem Georg. II, 373: Frondibus super indignas byemes sollemque potentem Sylvestres vri assidue, capreaque sequens ludunt. Vbi Minellius perperam interpretatur: Capreae plus illidunt frondibus, quam byems aut sol. Nam haec est poëtae sententia: Non solum frondibus byems ac sol nocent, sed super haec, id est, praeter haec etiam capreas.

## §. XXL

Confirmato significatu **τοῦ ὄντος**, verbum **βαπτίσεως** accipio sensu simplicissimo, quo significat sacro solenni- que ritu ablui, & hoc ipso religionis Christianae sectarem se profiteri. Quippe constat, baptismum suisse & signum confessionis fidei in adultis. Vnde Ioannis IV, 1 **βαπτίζειν & μαρτυρᾶς τοῖναι** coniunguntur. Et Matth. XXIX, 29 Christus inquit: **Μαρτυρᾶς τῶν τὸν βαπτίσεως εὑρεῖς**. Nec minus coniunguntur eadem Mar-

et XVL

ci XVI, 16 : ὃ τις εὐρας καὶ βαπτίσεις, qui crediderit in Christum, ac postea eius rei causa baptismum suscepere. Vide & Act. II, 41 ; IX, 18 ; II X, 36, 37, 38. Addatur ARRIANVS lib. II Differt. EPICTETI cap. IX iuxta finem, quem locum explicat IOACH. KVHNIVS Quaest. philol. Pentad. IV quaest. 5.

## §. XXII.

Atque sic verba Pauli simplicissime ita exponenda existimo : Cursuper ( id est, praeter, post, ultra ) eos, qui iam mortui sunt, alii quoque baptismum suscipiunt, & ita iniungere religionem Christianam profidentur, si tamen nulla erit mortuorum resurrectio, nec melioris vitae praemium expectandum est ? Germanice : Was lassen sich über die, die schon gestorben ( sive die schon tott ) sind / noch andere kaufen ?

## §. XXIII.

Postea quam probavi, meam sententiam prono quasi alueo ex verbis Pauli fluere, sequitur, ut manifestum reddam, eam cum scopo quoque apostoli conuenire & conciane cum reliqua oratione cohaerere. Id ut dilucide appareat, breuem totius capitii, quo verba illa continentur, ἀνάλυσι in conspectum dabo. Nimirum erant Corinthis, qui mortuorum negarent resurrectionem, argumento ab impossibili ducto. Aduersus hos in praesenti capite Paulus disputat, primo loco hunc ratiocinatus in modum : Si Christus à morte resurrexit, sequitur, resurrectionem mortuorum non esse impossibilem. Minorem pro-

propositionem sive assumptionem probat multis à v. 1 vs-  
que ad 11. Maiorem confirmat v. 12 ex eo, quod ab actu  
ad potentiam valeat consequentia, ut loquar cum schola-  
sticis. Deinde methodo disputandi Megarica vslus plura  
ex aduersatrice opinione deriuat absurdia, inquiens : *Sé*  
*resurreccio est impossibilis, sequitur, nec Christum resurrexisse,*  
*v. 13, 16.* *Si hoc, sequitur, nos esse mendaces doctores, v. 14,*  
*15.* *Si hoc, sequitur, vos iam sectari vanam & inanem, imo*  
*stolidam religionem, v. 14, 17, 19.* *Si hoc, sequitur, qui ex*  
*Christianis mortui sunt, eos perisse, v. 18.* Hinc à v. 20 vs-  
que ad 28 interseritur *de ev. traevidetos perspicua doctrina*  
de mortuorum resurrectione, ad quam proponendam  
ex hac ipsa disputatione commodam nactus occasionem  
est Apostolus. Hac doctrina breuiter exposita reddit ad  
oppugnatores huius veritatis, docens, omnem religio-  
nem Christianam concidere, si quidem dogma illud ex-  
terminetur. *Si, inquit, non potest fieri resurreccio, & bine*  
*spes vitæ melioris euaneat, sequitur, stultos esse & eos, qui*  
*religionem nostram amplexantur, (v. 29.) & eos, qui in ea*  
*perseuerant. (v. 30.) Nam (en rationem dicti!) in hac vi-*  
*ta Christiani omnium sunt calamitosissimi. (v. 30, 31, 32.)* Ergo (ita denique concludit,) cauete vobis ab isto erro-  
re, v. 33. Hinc postquam obiter quorundam Christiano-  
rum imperitiam reprehenderat v. 34, nouam hanc  
objectionem v. 35 producit : *Corpora nostra per naturam*  
*suam corruptioni sunt obnoxia. Et naturae eorum repugnat*  
*immortalitas. Ex quo conficitur, nec futuram esse mortuo-  
rum resurrectionem.* Ad quod argumentum copiose &  
perspicue responderet a v. 36 usque ad totius capitilis fi-  
nem. Ex hac diabolico simul patet, nostrae sententiae

philib

C

nil

nihil officere illam dubitationem, qua eam oppugnare  
videtur D<sup>N</sup>. OLEARIVS loc. cit. §. 13. M. <sup>16</sup>  
haec dubitatione admodum inveterata est, et non solum  
§. XXIX. <sup>17</sup> D<sup>N</sup>. Bochartus deuteronomio 19. 14. <sup>18</sup>

Reliquum est, ut paulisper vacemus dispellendis  
nubibus, si quae lucem sententiae nostrae intercipere vi-  
deri queant. Bocharto igitur satisfaciamus, qui loco su-  
pra §. IV. citato largitus, τὸ ὄντες aliquando significare ul-  
tra, sed tamen cum genitio caluis fieri negat, accusativum  
semper requirens. Verum hic recordemur, Virgilium  
locis ante allatis τὸ super hoc sensu non solum cum accu-  
sativo coniuxisse, sed & cum ablativo, quem constat  
secundo Graecorum casu sese respondere. Et licet iam  
nullum mihi suspectar exemplum, quo τὸ ὄντες pro οὐτρα  
appositum sit genitio, tamen tale quodpiam reperiā  
posse non despero, analogia fretus, quam modo com-  
memorauī ex Virgilio, cuius exemplum itidem in Latina  
lingua est rarissimum. Pari ratione vocula τοῖς cōne  
accusativū iungitur ordinarie, cum contra significat. Le-  
gitur tamen eodem sensu cum genitio, quod quidem  
oppido raro ut, apud Palaepbatum de Incredibilibus cap. XI  
¶ 2. Scilicet in omnibus linguis habentur nonnulla ra-  
rissima: ut taceam, Panum in suo scripturae genere mul-  
tum saepe sibi indulgere contra usum linguae Graecæ.  
Atque adeo haec Bochartina difficultas leuissima est, si  
modo certum sit, orationis seriem & apostoli scopum  
nostrae sententiae respondere: id quod satis demon-  
stratum esse confidimus. Ceterum quae SEB. SCHMI-  
DAYS loc. cit. §. 27 ad labefactandam nostram sententiam  
dilectum  
disse-

differit, ita comparata esse aequus lector deprehendet, ut  
amplius et responsione plane sint indigna.

## SOLI DEO GLORIA.

Damit nichts leer bleibe, bat man so viel der Platz  
vergönnen will, (Tit.) denen Herren Liebabern mehrere  
Dilpp. angeben, und darbey dienstlich melden wollen: Dass  
solche, wie gegenwärtige, ebenmässig zu Jena in der Hellerischen  
Buchdruckery, (mit einem gedruckten Catalogo, der noch  
viel 1000 Stücke, von allerhand in alle Facultäten einschlagende  
Dilpp. in sich fasst,) um billigen Preiss zu haben sind, als:

Zeltner de subjectione Jesu Christi gloriofa, ex 1. Cor.  
XV. 22. - - 28.

Aepini dis. ex verbis Pauli 1. ep. ad Tim. c. I. v. 13. Glau-  
ben wir nicht, so bleibet er treue; Er kan sich selbst nicht  
läugnen.

Apini de duplicitate baptismi discipulorum Ephesinorum,  
ad Act. XIX. 1. - 5.

Schinidii de Regina ex Auctro, ex 1. Reg. X. 1. seqq.

Alethophili de scripturæ sacræ atque antiquitates ecclæ-  
siasticae in theologia viu & auctoritate. Accessit scri-  
ptorum pro antiquitate religionis evangelica Bibliotheca.

Baueri vom Weyh-Wasser.

Ejusdem vom Fegfeuer.

Ejusdem von Papistischen Geisseln.

Ejusdem de formatione Christi in nobis, ex Gal. IV. 19.

Foertschii progr. de formatione Christi in nobis, ex  
Gal. IV. v. 19.

Bechmanni de extremo judicio.

Bernholdi usus particulaꝝ in quæfione vexatissima  
de baptismo pro mortuis, ex 1. Cor. XV. 29.

Schmidii de baptismo super mortuis, ex 1 Cor. XV, 29.

Streckii de illis, qui super mortuos baptizati leguntur  
1 Cor. XV. 29.

Bebelii de bis mortuis, von denen 2 mal Verstorbenen,  
Burgmanni de aurora in lege & testimonio conspicua,  
ex Esa VIII, 20.

Brenneri de exustione mundi suprema, ad 2. Petr. III.  
V. IO. 12.

Croonii de pietate Christiana per neglectum pietatis  
philosophicæ impedita. Præmittitur meditatio de utilitate  
ex universalis applicatione methodi mathematicæ  
ad alias scientias expectanda.

Casselii 2. dissertt. ad illustrand. Luc. XIX. 40. Wo diese  
werden schweigen, so werden die Steine schreyen.

Calouii de fluxu sanguinis & aquæ Christi laterali, ex Io.  
XIX. v. 34. - 37.

Chladenii de cognitione Christi secundum carnem,  
ex 2. Cor. V. 16.

Dorschei ex Joh. X. 7. Ich bin die Thür zu den Schafen.  
Eiusdem de horrenda & miserabili satanæ obfessione,  
eiusdemque ex obfessis expulsiōne.

Frischmuthii Propheta Mosi par, ex Deut. XIII. 15. sqq.  
Epistola ad Dn. Danzium de peccato in Spiritum S.  
Fechtii de necessitate baptismi sacrosancti.

Eiusdem de canone interno, ad Gal. IV. 16.

Eiusdem de studiis Biblici cu[m] systematico connexio-  
ne, hujusque divina origine.

Haferungii de apodixi Spiritus sancti.

F I N I S.

00 A 6333

E0-37  
Jah. 01

Rath

III

D

B.I.G.



EXERCITATIO EXEGETICA  
DE  
BAPTIZATIS  
ΤΠΕΡ ΤΩΝ ΝΕΚΡΩΝ

Ober:  
Besondere Meynung über die schwere Schriftstelle,  
Von der Tauffe über den Todten,  
EX I CORINTH. XV, 29

Q V A M  
IN AUDITORIO DVC. SEMINARII THEOLOG. ISENACENSIS

A. D. AVG. MDCCX

P R A E S I D E  
CHRISTOPH. AVG. HEVMANNO  
DICTI SEMIN. INSP.

PUBLICE PROPUGNABIT  
IO. DIETERICVS NEUMEISTERVS  
DANCKMARSHVS. ISENACENSIS  
S. THEOL. CVLT. EIVSDEMO. SEMIN. MEMBRVM



I E N A E  
REG. PRELO HELLERIANO, 1740.

